

FRANCISCI PATRICII  
PANARCHIAS  
LIBER QUARTUS  
*QUID PRINCIPIUM.*

His ita resolutis, ad principii, atque ad unius ipsius naturam cognoscendam propius accedamus. Ita ponimus, Principium id esse, quod ante omnia est, in quo omnia; a quo omnia, et post quod omnia. Sed ita posuisse, philosopho non est satis. Declaranda, et comprobanda sunt hæc omnia. Sed duo extrema, iam sunt, et declarata, et comprobata. Prius enim illud. Ante omnia. Cum primo commune habere est iam priore libro demonstratum. Et de Principio Hermes ita loquitur:

Ἀνεὺ ἀρχῆς οὐδὲν, ἀρχὴ δ' ἐξ οὐδενος, ἢ αὐτῶς.

“Absque principio nihil. Principium vero ex nullo, quam ex se ipso.”

Et hunc secutus Plato:

Ἀρχὴ δ' ἀγέννητον, ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶντὸ γιγνόμενον γίγνεθαι, αὐτὴν δε μὴ δ' ἐξ ἐνός.

“Principium vero, ingenitum. Ex principio enim necesse est, omne quod gignitur, gigni; ipsum vero, ex nullo.”

Et utrumque secutus Aristoteles parumper invertens:

Δεῖ γὰρ τὰς ἀρχὰς μὴ δ' ἐξ ἄλλων εἶναι μὴ δ' ἐξ ἄλλων, καὶ ἕκ τοῦτων πάντα.

“Oportet enim principia, neque ex se invicem esse, neque ex aliis, et ex his omnia.”

Postremum vero illud. (Post quod, omnia) Commune habet, et cum primo, et cum uno. Post unum enim esse omnia, est demonstratum. Et omnia a principio esse, quod erat tertium, tribus allatis autoritatibus erit comprobatum. Sed illud secundum. In quo omnia, nec uni, nec principio, convenire videtur posse. Seu, quod verius est, hoc ipsum, omnium principiorum, naturalis, et vera est proprietas. Quæ paululum declarata, erit forte, captu omnium facillima. Hoc ipsum igitur peragamus.

Rerum quæ in ortu, et in interitu versantur, principia quæpiam sunt, sensibus subiecta. Semina dimirum, suæ quæque speciei, hominis, equi, vitis, reliquorum. In eo semine prius sunt omnia occulta, quæ postea in natis manifesta apparent: cor, cerebrum, hepar, radices, rami, folia, flores fructusque. Neque enim hæc, sine suis seminibus nascerentur. Neque semen ea produxisset, nisi prius in eo extitissent. At quo modo in semine extiterunt? Dicam, si liceat ita fari, seminaliter. Eo scilicet modo, quo semini convenit. Quo semen ea capit. Actu ne, an potentia? Peripatus rogabit. Respondebimus actu. Nihil enim e se producit quicquam, quin, et producens sit actu, et productum itidem actu. Agit enim nihil, nisi quod est actu. Producit ergo nihil, nisi quod actu existit. Sicuti nihil patitur, neque producitur, nisi in actu. Valeat ergo Peripati potentia quæ nil, nisi respectum futuræ rei significat. Est ergo homo in semine actu. Actu nimirum seminali. Qui actu extra semen, hominem itidem profert: respectu cuius, actus in semine Peripato est potentia. Quæ tamen nihil operatur, nihil profert. Nihil enim agit, nisi quod agere potest. Posse hoc, ab actu, et essentia provenit. Essentia autem cuiuscumque est existentia in actu, vires habens, et a viribus, actiones. Et omne quod est, ipso esse est. Esse autem, est entis actus. Et vis, ab essentia quasi stante provenit, et est in ea, et eius quædam extensio, et actionis interna quædam præparatio, prout actio est, virium ipsarum ad extra protensio, et proprii operis adimpletio. Actio hæc, actus quoque dicitur, per quem cuncta producuntur, viribus ea suggerentibus, quæ in essentia seminis, in actu erant seminali. Potentia ergo nihil hic habet actionis. Respectus solum est actus futuri, per quem res proditura e semine, actum extra semen est habitura. Valeat ergo e nostra philosophia, potentia hæc; aut in ea respectu tantum habitet. Sed redeamus.

Semini cuiusque speciei insunt omnia quæ inde postea prodeunt, et producta apparent foris. Et quidem actu insunt, sicuti per actum producuntur, et producta actu existunt. Sed in semine sunt actu seminali. Et prodeunt per actionem seminalem. Et actum, extra semen